Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3251
Quelle:
Copyright:

pressa, neque in *Codd.* hactenus recensitis occurrentia. Elenchus ad completam *Fabri* βιβλιογραφιαν opportunus.

XI. *fol.* 152. *Recessus qui per Cesaream Maiestatem Electori Saxonie Principibus et sex Ciuitatibus Lutheranis Propositus fuit Quem acceptare noluerunt.* Extat, sed paullo alia phrasi in *Coelest. Hist. Comitior. Aug.* T. III. f. 137. in *Lunigii Archiv. Imp. Part. Gen. Continuat.* p. 540. et aliis.

XII. *fol.* 154. *Johannis Fabri* Argumentum in Librum, quem per decursum adpellat *Collationem, qua Confessio Augustana confunditur, et se ipsam suo mucrone confodit.* Initium est: *Gloriosissimus ac inviciissimus Imp. Carolus — dum anno a Christo nato M. D. XXX. pro sua innata virtute* &c. Liber ipse abest, nec facile dispicias, ad quam ex tot polemicis *Fabri* lucubrationibus *Argumentum* istud pertineat.

XIII. *fol.* 158. *Gallici Oratoris* (Lazari Bayfii) *Sententia ex ejus oratione ad status imperij habita, considerata: Haganoæ 16. julij. 1540.* Initium: *Christianissimus Rex cum intellexisset diem ad sedandas Germaniæ controuersias Spire fuisse indictam* &c. Brevis et Protestantibus infesta. De regis sui origine ait Orator: *quam ex Germanis non sine animi hilaritate deduxisse gaudet.*

XIV. *fol.* 160. Scriptum germanicum *Conciliatorium* inter *Catholicos* et *Protestantes*, quod incipit: *Dise Nachvolgende Mainung haben etliche wenige guetherzige leut von beden theilen die man Babstisch vnnd Luterisch nennet — zusammen gesezt* &c. Ad calcem: *Recognouimus philippus Melanchton et Martinus Butzerus.* Non invenio mentionem hujus Opusculi, quod de Peccato originali, libero Arbitrio, Poenitentia, Baptismo, Coena Domini, Confirmatione, Vocatione Ministrorum, extrema Unctione, Ciborum delectu, Monachatu, Cultu SS. Festis, Oratione pro Defunctis, et Magistratuum officio tractat.

XV. *fol.* 185. *Senatus Consultum pro variarum opinionum abolitione in aliquot suis partibus christianam religionem concernens.* Sunt Decreta *Anglicana* 1540. de quibus videri potest *Burneti Historia Reformat. Eccl. Anglic. L.* III. ad hunc annum. Initium est: *Cum excellentissima regia maiestas sit diuino iure huius vniuersalis ecclesie ac congregationis Anglicane immediate sub deo supremum caput* &c. Catholica sunt pleraque, quae tunc ad tempus statuebantur.

XVI. *fol.* 194. *Canones de Coniugio et Continentia sacerdotum.* Incipiunt a Concilio *Ancyrano* celebrato circa 314. et in *Matisconensi* I. circa 582. desinunt.

XVII. *fol.* 205. Idem Scriptum *germanicum*, quod supra N. IX.

XVIII. *fol.* 210. Rhythmi vernaculi contra *Lutheri* Adseclas:

Möcht